

CASUS

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

SEU

De materia contractus; de ejus objecto; de consensu requisito; de oppositis consensui, nempe de errore, metu et dolo.

CASUS I.

MATERIA CONTRACTUS 1°.

1° MARIUS ANTONIO : « Te liberabo, ait, ab inimico tuo, TITIO, si nummos centum mihi promittas, quinquaginta statim erogando, cæteros mortuo TITIO soluturus. » Annuat ANTONIUS. Itaque MARIUS, acceptis 50 nummis, TITIUM occidit.

2° MARIUS, a satellitibus requisitus, PAULUM rogat ut in ejus domo abscondi possit, 600 fr. ei promittens, si votis annuat. PAULUS, accepta pecunia, MARIUM abscondit et ab omni periculo salvat.

HINC :

QUÆR. 1° An MARIUS, patrato homicidio, pecuniam jam ante acceptam retinere et promissam requirere possit?

2° An ANTONIUS, post factum, reliquam pecuniam MARIO promissam solvere teneatur?

3° An PAULUS pecuniam a MARIO accipere vel retinere valeat, in secundo casu?

SOLUTIO :

762. — *R. ad 1^m Quæst.* Controvertitur, MARIUS probabiliter potest retinere id quod, ratione contractus, ipsi promissum est. Ita communius cum S. Lig. n. 712, contra alios non paucos. Ratio est, quia, licet contractus, primum initus, fuerit invalidus ob materiam ejus turpem, seu intrinsece malam, attamen post factum intervenire videtur contractus implicitus, cujus natura exigit ut, quoties unus contrahens partem suam præstitit, alter teneatur suam implere, si licite possit. Etenim, quamvis actio turpis nullo pretio per se digna sit, pretium tamen aliquod meretur, quatenus laboriosa, periculosa aut ignominiosa agenti. Igitur, re turpi peracta, jam nullum est peccatum, si pars, quæ pretium promisit, illud solvat. Ergo MARIUS probabiliter pretium solutum servare et promissum repetere potest.

763. — *R. ad 2^m Quæst.* Quid vero de ANTONIO? Non tenetur reliquam partem pretii solvere, quia MARIUS non habet nisi jus probabile in illud, et proinde incerta est obligatio ipsi solvendi, ut patet ex dictis,

Ergo quisque sua probabilitate uti potest, MARIUS nempe, id quod recepit servando, et ANTONIUS partem quam non adhuc solvit retinendo. In dubio enim melior est conditio possidentis. *Reuter, n. 109, 339.*

764. — *R. ad 3^m Quæst.* PAULUS licite et valide cum MARIO contrahit. Nihil enim in hac conventionem reperitur, quod eam illicitam aut invalidam reddere valeat. Materia enim contractus est licita, et consensus utriusque contrahentis liber; nec insuper pretium pro officio præstando exaggeratum, nisi agatur de viro exiguæ conditionis, qui pecuniam promissam solvere moraliter non posset. Ergo PAULUS pecuniam a MARIO accipere et retinere potest. Nec dicas, MARIUM contraxisse metu adactum; nam metus non fuit incussus a PAULO, sed a necessitate rerum exortus est.

CASUS II.

MATERIA CONTRACTUS 2°.

1° MILESIUS, a TITIO conductus ut litteras ad dissitum locum ferat audit ROBERTUM velle etiam aliquem eo mittere, ad negotium quoddam peragendum. Illi se offert ad mandatarii partes adimplendas, et cum eo paciscitur de pretio eodem, quod jam a MILESEO obtinuit, non manifestans se jam ab alio conductum esse.

2° ARMELINA, puella, cum a LOELIO, eam ad peccandum sollicitante, pecunia donata fuisset, consensu in actum turpem prorsus denegato, pecuniam servavit. Alias, cum ei ab eodem oblata fuisset pecunia, ea conditione expressa ut in peccatum consentiret, consensit quidem primum, sed, accepta pecunia, consensum revocat, et pecuniam sibi servat.

3° ÆMILIUS et SIMON, amici, inter se statuunt ut Lugdunum tali die conveniant, peregrinationis ad limina Apostolorum suscipiendæ causa. Advenit quidem statuto die ÆMILIUS. SIMON vero, licet non impeditus, minime comparet. Hinc ÆMILIUS, factis frustra expensis, domum revertitur.

HINC :

QUÆR. 1° An MILESIUS integrum pretium a secundo mandante accipere potuerit, vel ad restitutionem teneatur?

2° An ARMELINA pecuniam a LOELIO receptam retinere possit in utroque casu?

3° An SIMON contra justitiam peccaverit, et ad restitutionem erga ÆMILIUM teneatur?

SOLUTIO :

765. — *R. ad 1^m Quæst.* MILESIUS potuit totum pretium a secundo mandante accipere et retinere, quia non lædit jus prioris quocum contraxerat, et posteriori se utilem præstat, æque ac si pro eo solo iter susciperet.

R. ad 2^m Quæst. 1° ARMELINA, in prima hypothesi, absque ulla injuria pecuniam servare potest, quia nullum intervenit pactum de peccato patrando, siquidem pecunia a LOELIO ad sollicitandam tantum puellam

erogata fuerat. In praxi tamen, ratione periculi, vel scandali, plerumque inducenda esset puella ad pecuniam Ecclesiis exornandis, vel pauperibus, erogandam.

2° *In posteriori casu*, ARMELINA pecuniam servare nequit, quia concessa non fuit nisi ex pacto de peccato de patrando, et proinde nulla datur ratio ad pecuniam retinendam. Etenim, non impleta conditione *sine qua non*, nullus datur consensus, ex parte LOELII, in dominii pecuniæ translationem.

766. — *R. ad 3^m Quæst.* Per se non videtur SIMON peccasse contra justitiam, nec proinde ad restitutionem obligari erga ÆMILIUM. Etenim nullus contractus proprie dictus inter utrumque initus fuit, sed merum propositum habitum est. Nam SIMON non intendit se obligare ex justitia, nec suscepit obligationem damnum alterius reparandi; nec alter id requisivisse videtur. Homines enim solent hujusmodi obligationem explicite declarare, quando eam suscipiunt. Porro de hac obligatione ne cogitarunt quidem. Insuper ÆMILIUS ab itinere faciendo impeditus non est, licet solus fuerit. Attamen SIMON non est excusandus a peccato gravi contra caritatem, si socium præmonere potuerit, sive nuntio, sive scripto, de propositi sui mutatione.

CASUS III.

CONTRACTUS DE RE TURPI.

1° VALFRIDUS ELODIAM ad peccatum inducit, sub ea conditione quod eam in matrimonium sit ducturus, si votis annuerit. Verum, crimine patrat; stare promissis recusat, quia, ait, nulla proles ex pravo consortio cum ELODIA concepta est, ac proinde nullum quoque damnum reparandum.

2° MARO, cum a FULVIA sub matrimonii promissione copulam obtinisset, fidem recusat servare, quamvis ex ea muliere prolem susceperit, quia, ait: 1° non habuit seriam intentionem eam ducendi; 2° quia ipsi nimium divitiis et conditione præstat; 3° quia sui ipsius parentes offensi remanerent.

LEONTIUS CAMILLAM ad crimen sollicitaverat eo pacto, ut aliquam pecuniæ summam esset ipsi traditurus; patrat autem peccato, fallax homo miseram feminam, remuneratione promissa vacuum, derelinquit. Cum autem id Confessario aperuisset, ab eo ad pecuniam sub gravi solvendam adigitur.

HINC :

QUÆR. 1° An VALFRIDUS ad matrimonium cum ELODIA ineundum teneatur?

2° An MARO FULVIAM ducere teneatur? vel ad quid sit obligandus? Et quid de adductis ab eo rationibus sit dicendum?

3° An LEONTIUS graviter peccaverit, promissam pecuniam non tradendo? Si vero solvisset, an pecunia a CAMILLA servari potuisset?

SOLUTIO :

767. — VALFRIDUS, juxta sententiam communissimam, ELODIAM ducere tenetur. Ratio est, quia contractus innominatus, *Do ut des*, etc., perficitur tantum quando fit rei traditio, seu operis præstatio, et tunc cessat ratio et vis legum quæ pacta turpia irritant; neque enim obligatio quæ tunc ponitur in altera parte turpis est, aut ad rem turpem obligat. *S. Lig. n. 642*, ubi dicit hanc sententiam tenendam esse. Contradicunt tamen nonnulli recentiores ex generali principio de contractibus ob conditionem turpem invalidis. *Sic Carrière, Gousset, etc.*

Attamen *S. Ligorius et alii communiter Doctores* exceptiones suæ doctrinæ apponunt, scilicet: 1° si ex matrimonio timeatur pessimus exitus, ut discordia, rixæ, scandala, etc.; 2° si vir cognoverit feminam, putans eam esse virginem, sed corruptam invenerit; 3° si futurum sit familiæ dedecus; 4° *probabilius* etiam si vir conditione mulierem notabiliter antecellat.

768. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° MARO tenetur ad FULVIAM ducendam, si alio modo damnum reparare nequeat, quod plerumque evenit. Ratio est, 1° quia, licet ad matrimonium forte non obligetur ratione contractus, deficiente consensu, ab eo tamen non est eximendus ratione damnorum, quæ a damnificatore necessario reparanda sunt; 2° quia ab bonum commune jus naturæ postulat ut omnis fraus a contractibus absit, et propterea obligat decipientes ut in pœnam suæ fraudis teneantur adversam partem deceptam omnino indemnem facere, perinde ac si nulla fraus intercessisset. Excipe tamen nisi femina ex verbis, aut ex aliis circumstantiis, ad promittentis deceptionem facile advertere potuerit, quia in eo casu sponte decipi voluisse censetur. *S. Lig. n. 642, 643. — Sanchez. — Sylvius, et alii communiter.*

2° Quid vero de rationibus a MARONE adductis? Non valet *prima excusatio* ex ficta promissione deducta, quia existit damnum necessario reparandum. Igitur vel illud adæquate compenset, vel puellam ducat. *Secunda ratio* valere potest ad MARONEM a matrimonio excusandum, si convenientem dotem FULVIÆ concedat, ita ut aliud matrimonium suæ conditioni congruum contrahere valeat. *Tertia ratio* non valet, nisi in quantum damnum puellæ illatum resarciri posset, ut dictum est.

769. — *R. ad 3^m Quæst.* LEONTIUS *probabiliter* non tenetur pecuniam promissam solvere, si nullum sit damnum reparandum, ut sæpius contingit, quia contractus de re turpi non valet; nec constat de obligatione aliunde proveniente. Si vero mulier jam pecuniam accepisset, *probabiliter* non teneretur eam reddere, juxta superius dicta. *V. Comp. n. 760, etc.*

CASUS IV.

MINOR CONTRAHENS.

1° VICTOR, filius minor, studiorum causa a patre suo missus alio, liberio rem vitam ducere cupiens, mox omnem pecuniam a parentibus acceptam consumpsit. Quapropter aliam pecuniam mutuo ab hospite pos-

tulavit, et simul victualia ab eodem ad creditum accepit. Cum autem his debitis satisfacere non posset, horum solutionem ab ejusdem patre hospes requirit. Sed pater ea solvere renuit, quia in hujusmodi debita a filio contracta minime consensum præstitit.

2° ALFREDUS, decem et octo annos natus, in nundinis cum MARCELLO versans, simulat se optimam occasionem debita quædam patris absentis solvendi habere. Hinc a MARCELLO postulat trecentos francos mutuo sibi tradendos, et a patre restituendos. Libenter hic postulatam tribuit pecuniam, fraudem nullam in adolescente suspicans. ALFREDUS vero pecuniam hanc in res vanas impendit.

HINC :

QUÆR. 1° *An valide contrahant minores?*

2° *An teneantur ad solvenda debita, sive nomine proprio, sive nomine parentum contracta?*

3° *An eorum defectu teneantur parentes, etiam ante judicis sententiam?*

4° *Quid de casu VICTORIS et ALFREDI? An ipsi, vel eorum parentes, præfata debita solvere debeant?*

SOLUTIO :

770. — *R. ad 1^m Quæs.* Validitas aut firmitas contractus a *minore* initi, a variis locorum legibus pendet. Ad eas igitur quisque in sua regione attendere debet. — *De jure naturali* minores valide contrahunt, si usu pleno rationis gaudeant. Ex *jure vero Gallico* minorum contractus sunt quidem validi, sed non firmi, id est, sunt rescindibiles per judicis sententiam, nisi ipsi minori faveant. Hinc, si ex contractu minor videatur læsus, ad beneficium restitutionis seu rescissionis admitti potest; secus vero, si nulla læsio subsequuta est.

771. — *R. ad 2^m Quæs.* *Affirmative per se*, nisi per judicis sententiam excusentur; quia, ut diximus, contractus minorum de jure naturali sunt validi, usquedum juridice irritentur. Minor autem beneficio legis uti non potest ut eximatur a restitutione pecuniæ, quam mutuo accepit aut dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; quia tenetur adimplere obligationem quam certo novit, cum pecuniam postularet. Ipsius vero culpæ tribui debet, si nullum emolumentum acceperit.

R. ad 3^m Quæs. *Negative*, nisi in contractum consenserint. Nemo enim obligationem ratione contractus suscipit, nisi in illam consenserit. Neque parentes de *jure naturali* pro filiis respondere debent, nisi eorum debitis efficaciter cooperati fuerint. Ergo parentes ante judicis sententiam non sunt compellendi *per se* ad restitutionem pro filiis faciendam. *Recole dicta supra, n. 586.*

772. — *R. ad 4^m Quæs.* 1° Victor tenetur ad omnia debita quæ fecit, solvenda, quia pecunia et victualia ad hospite in ejus beneficium ipsi præstita sunt. Si nunc ob impotentiam excusatur, suspenditur obligatio, non vero solvitur. Igitur, quando bona propria habebit, ex eis debita prius contracta solvere tenebitur.

Quid vero de patre VICTORIS? Recte egit denegando solvere ex propriis bonis debita a filio cum tanta prodigalitate, ipso inscio, contracta. Sibi imputare debet hospes, si in VICTORE adeo imprudenter confisus fuit.

2° ALFREDUS pariter debita a se contracta sive proprio, sive patris nomine compensare tenetur, saltem quando poterit, si hic et nunc in impotentia versetur. Non enim ipsi prodesse potest fraus et malitia sua: *fraus enim sua nemini patrocinari debet*. Secus omnia impune a minoribus deprædationi traderentur. MARCELLUS, qui optima fide officium præstare putavit, jacturam pecuniæ suæ facere non debet. Clamat enim æquitas naturalis, eum indemnem faciendum esse. Neque pater ALFREDI pro eo solvere tenetur, ut de VICTORIS parente dictum est. *Elbel, n. 310. — Gousset, n. 747. — Comp. n. 762, etc.*

CASUS V.

UXOR CONTRAHENS 1°.

1° GERTRUDIS, mulier viro alligata, inscio marito, bona quædam paraphernalia vendit, ad solvenda debita sibi et conjugii communia. Mortuo autem viro, inducitur a vicino, qui bona vendita ambiebat, ad contractus venditionis rescissionem juridice impetrandam. Majori pretio oblato illecta, GERTRUDIS huic vicino morem gerit, et recuperata bona eidem vendit.

2° CELINA, vivente marito, sed ipso inscio, dotis partem vendidit ad extinguenda debita liberiore vita contracta. Filii vero, utroque parente defuncto, venditionis rescissionem postulant, et bona a matre vendita cum damno emptoris recuperant.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quatenus uxor contrahere possit?*

2° *An GERTRUDIS in primo casu potuerit rescissionem venditionis licite et juste postulare? Et si obtineat, an pecuniam ab emptore acceptam reddere debeat?*

3° *An filii CELINÆ, in secundo casu, potuerint juste contractus a matre initi rescissionem petere?*

SOLUTIO :

773. — *R. ad 1^m Quæs.* Quod ad contractus uxorum spectat, etiam ad varia jura attendendum est. Ex *Jure Gallico*, uxor valide quidem contrahit, sed non *firmiter* absque mariti *consensu*, ut de minoribus dictum est. *V. Comp. n. 767.*

R. ad 2^m Quæs. 1° GERTRUDIS ad beneficium rescissionis recurrere nequit, quia contractus venditionis paraphernalium fuit ipsi et marito utilis, cum pecunia accepta ad debita solvenda impensa fuerit. Nec est ratio sufficiens venditionem rescidenti, quod majus pretium de illis bonis ipsi a vicinis suis offeratur, modo justo pretio vendita fuerint. Si tamen infra justum pretium hæc paraphernalia vendiderit, justam compensationem repetere potest.

2° In casu in quo rescissionem contractus obtineret, pecuniam ab emptore acceptam ex integro restituere deberet, quia, rescisso contractu, singulae partes in pristinum statum restitui debent.

774. — *R. ad 3^m Quæst.* Filii CELINÆ beneficio legis uti possunt ad bona a matre vendita recuperanda, quia damnum ex illa venditione patiuntur. Debet igitur sibi imputare emptor, quod cum muliere sub potestate viri constituta contraxerit.

CASUS VI.

UXOR CONTRAHENS 2°.

SOPHIA virum ære alieno pressum habet. Ejus nomine et in ejus commodum, uxor pecuniam sibi mutuo tradendam ab ELODIA efflagitat. Hæc vero suspicans statum rerum mariti hujus labilem esse, ait: « Pecuniam tibi in viri tui favorem minime tradam, nisi tu, qui notabili gaudes dote, pro illo spondeas. » Spondet ocios SOPHIA; sed vir, haud multo post, cessionem bonorum omnium facere adigitur, et mœrore confectus e vivis excedit. Pecuniam suam confestim repetit ELODIA. Ast SOPHIA solvere abnuat, quia ex lege, ait, spondere non potuit absque mariti consensu.

HINC :

QUÆR. *An SOPHIA pecuniam ab ELODIA acceptam restituere debeat?*

SOLUTIO :

775. — *R. ad Quæst. Affirmative.* SOPHIA pecuniam ab ELODIA acceptam omnino restituere debet, quia se contractu speciali ad id obligavit. Etenim ELODIA mutuum non tradidisset, nisi SOPHIA pro marito spondidisset. Sciebat enim SOPHIA omnem obligationem quam contrahebat, necnon futurum mariti infortunium satis prævidit. Voluit igitur, stantibus his circumstantiis, se *strictissime* obligare. Quod si noluerit hujusmodi obligationem suscipere, ELODIAM fraude decepit, et detrimentum quod ea patitur reparare debet.

CASUS VII.

CONSENSUS IN CONTRACTU.

1° LUCANUS RUTILIO domum 1,500 fr. vendit. Perfecto ex utraque parte consensu, statuitur quod die sequenti, hora nona matutina, adeundus esset notarius instrumenti conficiendi gratia. Interea vero id casu rescit GERMANUS, qui, hanc domum ambiens, pretium majus offert, ut sibi tribuatur. Hinc LUCANUS renuit stare conventionibus prius initis, nisi RUTILIUS pretium a GERMANO oblatum solvat.

2° IVO decem frumenti mensuras ANDRÆ vendiderat. Cum autem eas non statim tradidisset, et interea frumenti pretium repente crevisset, IVO jam non vult frumentum tradere, nisi emptor illud juxta actualem valorem solvat.

3° TIBERIUS equum HILARIO vendit, dum est vino captus. Die autem altera, mente sanior factus, contractum hunc vult rescindere: obsistit emptor. Tunc TIBERIUS venditionem confirmat ea conditione, ut HILARIUS sibi auxilium præstet ad grave damnum MARINO inferendum.

HINC :

QUÆR. 1° *An LUCANUS injuste egerit, pretium in domo adaugendo?*

2° *An IVO potuerit pretium majus ab emptore requirere, posthabita conventionem?*

3° *An valeat venditio equi facta ab homine vino capto? et an secundus contractus de damno inferendo priorem confirmet?*

SOLUTIO :

776. — *R. ad 1^m Quæst.* Juxta Jus Romanum, LUCANUS non injuste egit, quia venditio immobilium non perficitur, nisi per instrumentum legitime confectum. Sed ex *Jure Gallico* graviter peccavit contra justitiam et tenetur ad restitutionem, quia venditio quælibet solo vendentium consensu perficitur. *Art. 1582 Cod. civ.* Excipe, nisi alicubi vigeat consuetudo, vi cujus venditio non censeatur perfecta ante instrumenti confectionem aut rei traditionem, ut facilius evenire potest de mercibus quæ in foro publico venduntur. In casu dubii, res componenda est per arbitros, qui de consuetudine loci testimonium perhibeant.

777. — *R. ad 2^m Quæst.* IVO *per se* conventioni prius initæ stare debet, quia de jure naturali et jure positivo, per consensum præstitum ad rem pro tali pretium tradendam, se obligavit. Jus Gallicum *juri naturali* omnino consonat. Ex *Jure* autem Romano, licet venditio mobilium non sit perfecta ante rei traditionem, non est tamen plane invalida, siquidem tribuit emptori saltem jus *ad rem*, si jus *in re* non constituat. Exceptio autem dari potest, ut in casu præcedenti dictum est.

778. — *R. ad 3^m Quæst.* Venditio prima equi omnino invalida est, si TIBERIUS vino captus perfecte sui compos non fuerit, ut in casu supponitur. Injuste primum egit emptor, obstando ne venditor a contractu resiliat. Nec valet rati habitio contractus sub conditione turpi facta, saltem antequam hæc conditio adimpleatur, quia, hac posita conditione, *de jure naturali* irritatur. Attamen, damno illato, *probabiliter* valet hæc contractus confirmatio. Igitur, ante factum cooperationis in damnum, HILARIUS equum reddere debet; postea autem *probabiliter* bestiam retinere potest, juxta dicta supra *in primo casu et sequentibus*. *V. Comp. n. 772, 881.*

CASUS VIII.

ERROR IN CONTRACTU.

1° DAVID ad IRENÆUM veniens, ait: « Cupio a te emere tres mensuras vini de anno 1841. » Illud enim vinum ut pluris valens habebatur. De pretio statuitur; IRENÆUS ad cellam vinariam DAVIDEM ducit et ei osten-

dit tria vini dolia, quorum duo de anno prædicto erant, et aliud præcedentis anni. DAVID hoc ultimum eligit. Tacet IRENEUS, et vinum istud minoris valoris ipsi tradit, quia, omnibus probatis, illud elegit. DAVID igitur numerat pecuniam pro alio vino promissam.

2° DELPHINUS emit vaccam quam foetam existimat, et quæ talis non est. Emit pannum quod bonum apparet, sed quod combustum est. Emit equum, qui die sequenti ex vitio intrinseco perit.

3° HONORIUS, accepta hæreditate, inter res a testatore relictas annulum invenit, lapide, quem cristallinum reputat, exornatum. Illum mediocri pretio vendit PAULINO, qui et ipse putat talem esse ejus valorem. Sed postea aliquis peritus detegit esse lapidem adamantinum, et notabili pretio illum emit.

HINC :

QUÆR. 1° An IRENEUS ad restitutionem teneatur?

2° Quid, si quis emisset vinum Burgundinum pro vino Burdigalensi?

3° An DELPHINUS valide contraxerit in prædictis casibus?

4° Quid de validitate contractus in tertio casu? Vel cui restituendum?

SOLUTIO :

779. — R. ad 1^m Quærs. Contractus quoad substantiam valet, quia error est tantum accidentalis. Attamen IRENEUS tenetur ad restitutionem pro rata excessus pretii vini melioris, si revera illud, quod tradidit, tanti vendat quanti illud vendidisset.

780. — R. ad 2^m Quærs. Per se error esset tantum accidentalis, ut in casu præcedenti. Valeret igitur contractus cum obligatione tamen damnum resarciendi si vinum emptum sit valoris inferioris, ut modo dictum est. Dixi per se, quia non valeret contractus, si emptor motivo speciali duceretur ad tale vinum emendum, v. g. pro remedio vel pro alio fine ad quem aliud vinum non conducere. Reuter, n. 114.

781. — R. ad 3^m Quærs. 1° Valet emptio vaccæ, quia in casu nihil de foetu stipulatum fuit. Venditor igitur emptorem non decepit. Quid vero si asseruisset vaccam foetam esse? Error esse accidentalis, saltem generatim; quare satis esset pro rata damni restituere. Secus tamen, si emptor significasset se velle vaccam foetam ad lac habendum, et vacca ista lacte careret.

2° Quoad pannum, error substantialis est, adeoque invalidus contractus, et damnum adæquate resarciendum.

3° Quoad equum, error quoque substantialis est, quia tempore venditionis equus nullius valoris erat. Proinde venditor ex integro pretium restituere debet.

782. — R. ad 4^m Quærs. Error substantialis in annuli venditione datur, licet venditor et emptor bona fide fuerint, et rem pretio multo minori valere existimaverint. Plures et gravissimi Theologi dicunt valere con-

tractum, licet error sit notabilis in pretio rei extraordinariæ; sed hic error circa rei substantiam versatur, siquidem vitreum reputatur id quod reapse adamantinum est.

CASUS IX.

DOLUS IN CONTRACTU.

1° VINCENTIUS cupiens domum suam summo pretio LEONI vicino suo vendere, simulat se de hujus domus venditione agere cum URSINO, homine iracundo, rixoso, et ab omnibus vicinis reformidando. Tunc LEO festinat ei pretium requisitum offerre, ne vicinum adeo ingratum sortiatur.

2° NARCISSUS a GORDIANO pecuniam mutuo acceperat, cum pacto de fenore legali quotannis solvendo. Anno elapso, NARCISSUS, censum annum retribuendo, dicit GORDIANO: « Nolo ego in posterum tibi concedere, nisi quatuor pro centenis singulis; quod si nolis, totam pecuniam tuam tibi restituiam. » Porro non erat ille sic peracturus; pecunia enim indigebat. GORDIANUS, ad dolum non advertens, consensum præstat.

HINC :

QUÆR. 1° An sit validus contractus in primo casu? et an VINCENTIUS aliquid emptori restituere debeat?

2° An NARCISSUS, in secundo casu, teneatur solvere fenus, ut antea solvebat?

SOLUTIO :

783. — R. ad 1^m Quærs. 1° Contractus videtur validus quoad substantiam, si LEO libenter quidem domum acquirat, utpote sibi vere utilem; licet enim eam, secluso dolo, non emisset, non tamen censetur proprie invitus. Attamen in hoc casu, saltem quoad summum domus pretium, decipitur emptor; proinde pro illo pretii excessu saltem jus ad compensationem habet.

2° Contractus habendus est ut invalidus, si domus ementi sit parum utilis, ita ut valde ægre, seu cum magna voluntatis repugnantia eam emerit, et unice quidem ad vicinum adeo invisum a se removendum, quia tunc consensus est omnino erroneus, seu error aut dolus est vere causa movens contractus.

784. — R. ad 2^m Quærs. Distinguendum est. 1° NARCISSUS non facit injuriam GORDIANO, nec proinde tenetur solvere quinque pro centum in posterum, si habeat pecuniam vel habere possit ut sortem refundat; quia reapse cedit de jure suo sortem refundendi, eaque refusa, GORDIANUS forte non plus accipiet.

2° Si vero NARCISSUS pecuniam non habeat, nec habere possit, mentitur et injuriam facit, ac proinde ad restitutionem tenetur, quia de potestate refundendi non cedit, cum potestate illa careat; proinde jus imminuendi pensionem non habet, et stare contractui tenetur. Nec dicas intervenire dolum in primo casu, æque ac in secundo: nam in primo